



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Julium, Augustum, Septembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 7. De gravitate peccati ob ejus circumstantias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60520](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60520)

DIES VII.

De Gravitate Peccati ex ejus
adjunctis.

I.

Magnitudinem peccati metiri debemus
 ē magnitudine Dei offensi, & vilita-
 te hominis eum offendentis. Peccatum
 tam grande est malum, quàm grandis Deus,
 & quàm contemptibilis homo est. Deum
 esse, necesse est, qui ingentem peccati ma-
 litiam comprehendere possit. Verùm,
 diabolum esse oportet, qui peccatum ad-
 mittit, si nōrit, quid illud sit. Quid est
 Deus? est Majestas, excellentia ipsa, &
 summa (ut cum Scholis loquar) indepen-
 dentia. Quid est homo? vilitas, imbecilli-
 tas, & dependentia ipsa, terræ vermicu-
 lus, nihilum. Et hic terræ vermiculus
 contra supremam Majestatem erigere ca-
 put audet, hoc nihilum contra omnium re-
 rum principium rebellare, hic homo tam
 vilis, & miserabilis ipsum aggredi Deum
 non veretur? quanta insolentia! anne hæc,
 etiam cū videtur, credi potest? An
 Deus eam intueri potest, quin puniat? an
 infernus unicus eidem puniendæ sufficit?

II. Quam

II. Quam ob rem, hic terræ vermiculus Iulius.

offendere supremam hanc Majestatem aude-
re? ob vilem, & turpem voluptatulam?
ob nihili lucrum? Cuj me assimilasti? in-
quit Deus per Prophetam, vel, cui me non
posthabuisti? si id foret orbis vniversi im-
perium; attamen ingens esset injuria: sed
magnitudo denique pretij sceleris enormi-
tatem aliqua ex parte diminueret, vel cer-
tè peccatorem excusatione minùs indi-
gnum redderet. Sed offendere Deum ob
rem frivolum, ob rem nihili, quàm hor-
rendus contemptus! injustitia Judæorum,
qui homicidam, hominem sceleratum
Christo præferunt, horrorem nobis incutit;
cùm tamen ipsi, eum esse Deum ignorâ-
rint, imò sibi inimicum esse censuerint.
Ego verò, qui ipsum Deum meum, & Ser-
vatorem agnosco, vilem, despectamque
ei creaturam præfero: quantum nefas!
Potestne homo, & quidem Christianus eò
usque perversitatis delabi? Et si eò delaba-
tur, potestne Deus Servator, quantum-
cunque patiens sit, impunitum dimittere?

III. Id, quod insuper peccati gravita-
tem infinitè auget, est multitudo, & ma-
gnitudo nominum, quibus Deo à nobis
offenso obstringimur. Is ad imaginem
suam nos creavit, sanguine suo redemit,

Julian.

eius pretium modo quodam peculiari nobis applicavit, nosque tot alijs prætulit, ad fidem nos vocavit, carne & sanguine suo quotidie pascit, ab infinitis malis liberavit, à millenis periculis, quæ in hac, & altera vita funesta nobis forent, defendit, gratijs suis prævenit, beneficijs suis obruit, felicitatem æternam nobis destinat; nos verò eodem quoque tempore, quo nos à tot malis tueretur, tot, tantæque bona nobis præstat, & præstare cogitat, ipsius obliviscimur, ipsum despiciamus, ipsum offendimus, nec quidquam hisce beneficijs, præter injurias rependimus. Inveniturne inter homines, quantumcunque dissoluti illi sint, adeò retrum ingrati animi exemplum, ut illud est, quod Deo exhibetur?

Utere potentibus hisce incitamentis ad concipiendum verum dolorem de peccatis tuis præteritis, firmumque concipe propositum, ea in posterum non committendi.

Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui. *Deut. 32.18.*

Videtur enim comparationem egisse, & judicatò pronuntiàsse, eum esse meliorem, cujus esse se maluerit. *Tertull.*

DIES